



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. I. De Collegiorum Fundatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

CAPUT I.

De Collegiorum Fundatione.

SECTIO I.

Finis Collegiorum.

I. *Ut instruan-
tur in literis
Scholastici So-
cietatis.*



Um scopus, ad quem tendit Societas, sit varias Mundi partes ex Obedientia peragrando Verbum Dei prædicare, Confessiones audire, & reliquis, quibuscumque poterit, mediis uti. Divina gratia aspirante, ad animas juvandas; rationi consentaneum visum est, ut in eam ingressuri viri sint probitate, & literarum eruditione, ad id officium idonei. Et quia boni simul & eruditi, pauci inveniuntur; & ex paucis major pars jam à susceptis laboribus vellet conquiescere; perdifficile fore deprehendimus, hujusmodi hominibus, qui boni simul & literati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos ejus Institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem. Ideo nobis omnibus, qui conservationem & incrementum ejus ad majorem laudem, & obse-

obsequium Dei ac Domini Nostri cupiebamus, alia via tenenda esse visa est; admittendi nimirum Juvenes, qui bonorum morum, & ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul, ac doctos viros essent evasuri. ^a Ad hoc Collegia, & aliquando etiam Universitates, & Studia generalia Societas amplectitur; in quibus admittuntur, qui bonum sui specimen in Domibus præbuerunt; nec tamen doctrina ad nostrum Institutum necessaria satis instructi accesserunt: ut in ea, & in aliis rebus, quæ ad juvandas animas conferunt, instruuntur. ^b Et hæc quidem Studia generalia seu Seminaria perfecta, in qualibet Provincia curanda sunt: sed ubi Nostri docendi munus imponitur, non præproperè huic negotio danda est opera. ^c

^a P. 4. Pro-
œm. A.

2. Eadem caritatis ratione, qua Collegia admittuntur, & publicæ Scholæ in eis, non tantum ad Nostrorum, sed magis etiam ad Externorum ædificationem in doctrina, & moribus, tenentur. ^d

^b P. 4. Pro-
œm. §. 1. &
St. R. Rect. 1.

^c C. 2. D. 9.

² Vt externi
pietate & lite-
ris imbuantur.

^d P. 4. C. 11. §.
1. & C. 7. §. 1.

SECTIO II.

Quomodo agendum cum Fundatoribus Collegiorum.

1. Quoniam valde æquum est, ut illorum devotioni, & beneficentiæ correspondere solerentur.

Singularis erga
Fundatores ob-
servantia.

correspondeamus, quibus Divina Bonitas ad foundationem, ac dotationem Collegiorum utitur administris: in universum tum ipsis, tum eorum Necessariis, & quoad vivunt, & postquam obierint, peculiariter sese devinctam esse Societas, ex caritate, cognoscat: ut omni officio illos prosequatur, quod à nobis præstari, juxta

e P. 4. c. 1. §.
1. & §. 6.

Divinam gloriam, possit. e Injungitur etiam Rectori, ut observet, quæ erga Fundatores, & Benefactores observanda sunt.

f R. Rect. 76.
& Prov. 95.

Nec ea cura Provinciali postrema sit. f

Missa anniver-
saria, & una
solemnis.

2. Servanda verò sunt, quæ sequuntur. Cum primum Societas in Collegii alicujus possessionem venerit, Præpositus Generalis curet indici per universam Societatem; ut quilibet Sacerdos ter sacrum faciat, pro superstite Fundatore ipsius Collegii, & Benefactoribus. Singulis insuper annis, eo die quo Collegii cujusque possessio Societati tradita est, quicumque Sacerdotes in eodem Collegio adfuerint, sacrificia pro Fundatore, & Benefactoribus peragent; & Missa ibidem celebrabitur cum solemnitate nobis usitata. g

g P. 4. c. 1. §.
4. & A.

Candela oblatio
quot annis.

3. Eodem die Candela cerea Fundatori offeratur, aut uni ex suis, qui ipsi sit cognatione proximè conjunctus; aut illi demum,

demum, quem ipse Fundator designaverit :
 in qua Candela armorum Fundatoris, vel
 devotionis insignia extent. Eademque, si in
 loco, ubi Collegium institutum, successu
 temporis, non esset aliquis de posteritate
 Fundatoris, mitti aliò poterit; ubi ex ejus
 progenie aliquis inveniretur; vel in altari
 constitui, ubi divinum sacrificium cele-
 bratur. Illâ verò testabitur Societas debi-
 tam gratitudinem, non jus Patronatus,
 vel actionis ullius, quod Fundatori, aut
 Successoribus ejus in Collegium, aut ejus
 bona temporalia competat. *b*

b P. 4. C. I. B.
 C.

4. Initio item cujusque mensis omnes
 Sacerdotes, qui in Collegio fuerint, pro
 Fundatore, & Benefactoribus Missæ sa-
 crificium offerre perpetuò debent. Præ-
 terea singulis hebdomadis pro iisdem in
 quolibet Collegio una Missa celebretur.
 Cùm ex hac vita Fundatores excefferint,
 Præpositus Generalis, ubi primùm rescie-
 verit, curabit, ut per totam Societatem
 singuli Sacerdotes ter Sacrum pro anima
 illius faciant. Quoties autem dictum est,
 Missas esse à Sacerdotibus celebrandas;
 cæteri omnes qui in Collegiis degunt, ac
 Sacerdotes non sunt, ad eandem illam in-
 tentionem orare debent; quandoquidem
 ejusdem gratitudinis nomine utrique obli-
 gantur

Alia suffragia,

F

gantur

i P. 4. c. 1. §.
1. 2. & 4.

gantur in Domino. i Præter Missas, quæ pro Fundatoribus dicuntur, una, vel duæ, aut plures (pro numero Sacerdotum, & prout convenerit) singulis hebdomadis pro Benefactoribus vivis & defunctis offerentur: Deum ac Dominum nostrum rogando, ut pro illis hoc sanctum Sacrificium admittere, & pro infinita ac summa liberalitate sua, eam beneficentiam remunerari, qua illi erga Societatem nostram, ex divino amore, ac reverentia usi sunt; æternis præmiis dignetur. l Quæ omnia distinctius habes in

l P. 7. c. 4. §. 4.

Catal. Missarum inter Regulas pag. 181. &c.

Quid si Fundator sit Episcopus seu Respublica.

5. Quando ab Episcopis fiunt Fundationes Collegiorum de bonis mensæ Episcopalis, sint-ne habendi Successores in fundatione, Episcopi subsequentes, an Fundatorum consanguinei, dijudicet Generalis. In Communitatibus, vel Rebus publicis, quæ non moriuntur, dicentur hujusmodi Missæ pro earum defunctis, & pro illis præsertim, qui de nobis melius meriti sunt in Domino. "

m C. 5. D. 11.

" P. 4. c. 1. D.

Alia emolumenta spiritua-
lia Fundato-
rum.

6. Fundatores præterea, ac Benefactores Collegiorum, participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum, quæ tum in ipsis Collegiis, tum in reliquis Socie-

Societate, Dei gratia, fiunt. o Idem Fun-
 dadores, & eorum Liberi, semel in vita,
 & in morte plenariam omnium peccato-
 rum veniam, & indulgentiam consequun-
 tur. p

o P. 4. c. 1.
 §. 5.
 p Comp. Priv.
 V. Indulg. §.
 30.

SECTIO III.

*Quam multa & per quem Collegia
 admittenda.*

1. **A**B ipsis fundatæ Societatis initiis ad
 postrema usque tempora in mul-
 tiplicandis Collegiis modus, aut commen-
 datus est, aut imperatus. S. P. IGNATIUS
 constituit, ne, incipiendo ab Anno 1553.
 per decem proximè futuros, admitteretur
 Collegium ullum, ubi non possent su-
 stentari saltem quatuordecim Socii; &
 Domus & Ecclesia conveniens nostris usi-
 bus non traderetur. Quod temporarium
 edictum à proxima Congregatione confir-
 matum est. q Iterum hac eadem materia q
 diligenter per triduum disputata, placuit
 moderationem adhiberi, & plurimis maxi-
 miq; momenti rationibus in medium ad-
 ductis, rogatus est Pater Generalis, ei que
 ferio commendatum; ut potius applicaret
 animum ad roboranda, & ad perfectionem
 addu-

*Collegia non
 multiplicanda.*

q C. 1. D. 734

adducenda Collegia jam admissa, quàm ad nova admittenda: & si quæ admittenda existimaret, ejusmodi essent, ut ad commune bonum Ecclesiæ Dei magnum momentum habitura viderentur, & sufficienter dotata: neque hæc ipsa admitterentur, si non haberet Societas Rectores, ac Magistros, ac demum operarios idoneos, & quidem sine aliorum Collegiorum detrimento, & auditis Assistentium sententiis.

† C. 2. D. 8. 9. † Cumque in dies magis ex multitudine Collegiorum magna incommoda exoriri experientia docuisset; in Con. 3. semel atque iterum Pater Noster rogatus est; eique serió commendatum; ut potiùs ad roboranda Collegia jam admissa, quàm ad nova admittenda applicaret animum, &

† C. 3. D. 17. Decretum 8. Con. 2. servari curaret; & 10.

† C. 5. D. 69. à Con. 5. † Demum, cum Congregatio II. amplam potestatem faceret P. Vicario dissolvendi quæcumque Collegia malè constituta, eidem commendavit; ut se

† C. 11. D. 16. in admittendis novis Collegiis exhiberet planè difficilem. †

Generalis est ea admittere. 2. Sed ad Collegia admittenda quæ liberè Societati offeruntur, ut juxta suas Constitutiones omninò eis utatur, Præpositus Generalis, nomine totius Societatis, plenam

plenam potestatem habet. Quod etiam de Universitatibus intelligendum est : circa quarum conditiones , auditis sententiis sibi Assistentium , per seipsum deliberare poterit , an sint admittendæ ; non tamen se facilem ad extraordinaria onera suscipienda reddet : & si qua in re indulgeatur , constet obligationem nullam induci ; sed id quod additur , omninò voluntarium esse. *

3. Non solum autem oblatas Domos , Ecclesias , seu Collegia cum omnibus ad id necessariis construi , & locum pro hujusmodi constructione oblatum recipi posse à Societate per Sedem Apostolicam concessum est ; sed & ipsas Domos , Ecclesias , Collegia , Oratoria , constructa à Societate , vel ei donata , eo ipso Apostolica auctoritate erecta , ac confirmata sunt : ac bona quæcumque , pro Collegiorum , seu Scholarium sustentatione donata , eo ipso , eadem auctoritate Apostolica , perpetuò applicata censeri debent : & quæcumque demum Sociorum bona ab omni jurisdictione Ordinariorum liberantur ; ac sub S. Sedis protectione suscipiuntur. †

4. Ad relinquenda autem , vel alienanda Collegia & Domos jam fundata Præpositus Generalis , simul cum ipsa Societate ,

F 3

aucto-

* P. 4. c. 2. §. 1. & C. & c. 11. §. 2. & A. & P. 9. c. 3. §. 17.

Sic admissa Apostolica auctoritate erecta sunt, & exempta.

† Paul. III. p. 42. & Jul. III. p. 66.

Eadem tamen dissolvi possunt.

z Jul. III. p.
62. & P. 4. c.
2. §. 3. & A. &
C. 10. §. 2. &
C. 11. §. 2. &
C. 4. D. 23. &
27. & P. 8. c.
2. §. 2. & P. 9.
C. 3. §. 5. & 17.
18.

*Ad quem spe-
ctent Collegio-
rum dissolutio-
rum bona,*

z P. 4. c. 2. A.

auctoritatem habet; & quidem non extra
Congregationem Generalem, si omnino
negotium ad illam differri possit. Quod si
necessitas prævertendum suadeat; Gene-
ralis exquiret suffragia Provincialium, &
duorum antiquissimorum Professorum cu-
jusque Provinciæ, intra Europam tamen;
& illius præterea Provincialis etiam extra
Europam, sub quo esset Collegium, aut
Domus, de quibus controvertitur. Habent
etiam ad hoc jus suffragii Assistentes, Pro-
curator Generalis, & Secretarius. Major
autem pars horum suffragiorum sufficit ad
id statuendum, de quo deliberatur. z

5. Quod autem sic relinquatur, vel
ejus partem, non potest Societas, nec ejus
Generalis ullis extra Societatem homini-
bus donare, sed dispositio spectabit ad Fun-
datores, si hanc facultatem, dum funda-
rent, sibi reservarunt. Quod si talis Re-
servatio non intercesserit; poterit Societas
procedere, ut magis ad Dei gloriam &
suum Institutum expedire judicaverit. z

SECTIO IV.

De Collegiorum structura.

*Locus sit salu-
bris.*

1. **U**bi de Fundatione cum ejus Au-
ctoribus convenit, admovenda
manus est operi; & 1. materialis structura
occur-

occurrit, circa quam I. ut ratio habeatur valetudinis curandum est; ut Domus & Collegia in locis, ubi sit purum, & salubre Coelum, habeantur; & non in eis qui contrariam habent proprietatem. *b*

b P. 10. C.

2. Modus est imponendus ædificiis nostris, quantum in nobis fuerit: ne, præter cætera incommoda, fiant aliquando Palatia nobilium; sed sint ad habitandum, & officia nostra exercenda utilia, sana, & fortia; in quibus tamen paupertatis memores videamur; unde nec sumptuosa sint, nec curiosa. De Ecclesiis tamen nihil est dictum. *c*

Ædificia non curiosa, sed firma.

c C. 1. D. 113.

3. Quæcumque ædificanda majoris momenti fuerint, ut esset Templum, Dormitorium, vel aliquid hujusmodi, nisi approbante Generali non fiant; ad quem pertinet formam, & modum nostrorum ædificiorum præscribere. Ædificia verò conservari, & si opus erit, restaurari Provincialis curet; nihil tamen, quod necessarium non sit, permittat. Nam Superiores locorum inconsulto Provinciali ædificare nihil debent. *d*

Ædificandi forma à Generali petenda.

d C. 2. D. 84. & R. Prov. 75. & Or c. 2. §. 9. & Instr. temp. Prov. §. 10.

4. Concessa est facultas ædificandi & recipiendi Collegia, Domos, Ecclesias in quibusvis mundi partibus, & mandatum omnibus Potestatibus Ecclesiasticis, &

Privilegia Apostolica pro ædificiis.

Paul. III. p.
46.47. & Pius
IV. p. 82. & c.
& Greg. XIII.
p. 162. & c.

f Pius IV. &
Greg. XIII.
locis citatis.

Secularibus, ne hujusmodi constructio-
nes ullo modo impedian. e Quin permis-
sum, ut id nobis liceat etiam intra cen-
tum quadraginta annas à Conventibus
aliarum Religionum, etiam Mendican-
tium, & non obstantibus earum Privile-
giis. f Quamvis, quoad hæc Privilegia
attinet, servanda moderatio præscripta ab
Urbano Octavo Const. 27. Tom. 5. Bul-
larii.

S E C T I O V.

De redditibus Collegiorum.

Collegia dotari
possunt, & de-
bent.

g Ex. c. 1. §. 4.
& P. 4. c. 2. §.
6. & Paul. III.
p. 14. & Jul.
III. pag. 66. &
Pius IV. pag.
39. & Greg.
XIII. p. 230.
h C. 1. D. 73.
& C. 2. D. 8. &
C. 5. D. 69.

1. P O S T Collegiorum fabricam confi-
derandi se offerunt eorum redditus;
& 1. certum est Societatem posse admit-
tere & retinere Collegia, & Domos Pro-
bationis redditibus dotatas, usibus & neces-
sitatibus Scholasticorum eos redditus ap-
plicando. g Immo, ut hi liberiùs stu-
diis vacare possint (quæ causa fuit ut
Collegia redditus habere possint, quod Do-
mibus Professis non licet) statutum est,
ut admittantur tantùm Collegia ita dotata,
vel eam rerum vitæ necessariorum commo-
ditatem habentia: ut non tantùm Operarii,
sed & numerus proportionatus Scholasti-
corum sustentari possint. h

2. E

2. E contrario, ob majorem populi ædificationem, in iis Collegiis, quæ duodecim Scholasticos, præter Præceptores, ex propriis redditibus alere possunt, nec petantur eleëmofynæ, nec illæ, aut dona ulla oblata admittantur. Si redditus minores fuerint, quàm huic numero alendo sufficiant; admitti quidem, non autem peti aliquæ eleëmofynæ possent: nisi tanta paupertate Collegium premeretur, ut etiam petere, saltem à quibusdam, esset necessarium. Tunc enim (majus divinum obsequium, & universale bonum præ oculis semper habendo) peti eleëmofynæ, immo & ostiatim ad tempus, quodocunque necessitas id exigeret, emendicari poterunt. Videat etiam Rector, ne Magistris, vel ullis aliis de Societate sibi, aut Collegio pecuniam, aut dona quævis, ab ullo, pro re quavis, in ipsorum utilitatem facta, accipere permittat; quandoquidem præmium nostrum solus Christus Dominus, juxta nostrum Institutum, futurus est; qui est merces nostra magna nimis. Vide infra P. 3. C. 7. S. 2. §. 6. neque enim ad solas Domos Professas ibi dicta pertinent.

3. Ad eas igitur Constitutiones respiciendo, cum Civitas Perusina in lectione quadam publica literarum humaniorum, opera

Ubi sufficiens dotatio, non admittenda eleëmofyna, aut dona.

P. 4. C. 2. §. 6.

P. 4. C. 15. §. 4.

Exemplum Collegii Perusini.

opera cujusdam ex nostris usa fuisset; & Collegio nostro Perusino, loco stipendii, quod Prælectoribus hujusmodi lectionis solvi solebat, centum aureos singulis annis (pro eleëmofyna tamen, non pro stipendio) solvisset; Visum est in Domino expedire, ut nec lectionis illud munus, nec centum illi aurei in posterum admitteren-

m C. 2. D. 24. tur. m

*Explicantur
precedentes
Constitutiones.*

4. Cum autem earumdem Constitutionum finis sit populi ædificatio; ad hujus normam tam finis, quàm praxis Constitutionum exigenda est, iudicio P.

n C. 3. D. 25.

Generalis; qui & interpretari has Constitutiones, & dispensare etiam possit. Et declaratum postmodum est, Collegia, quæ possunt alere duodecim Scholares, nullas eleëmofynas admittere posse, nisi levis momenti, rarò, & ab iis, quorum timeatur offensio, si non admittantur; reliqua Collegia possunt: sed si ab iis mittantur, quorum filii scholas nostras frequentant, & conjectura sit mitti pro compensatione, vel intuitu ministerii, admitti non debent; donec planè intelligant accipi non posse, nisi nomine eleëmofynæ, secluso omni alio respectu. Per hanc autem Ordinationem nulla alia obligatio, præter quam simplicis Constitutionis, induci-

*o Or. Gen. c. 1.
§. 14.*

ducitur. p Præterea, non obstantibus præ- p C. 8. D. 59
 dictis; si Benefactores essent, qui possessionem aliquam, vel redditum dare vellent, admitti illa possunt: ut tantò major numerus Scholasticorum, ac Præceptorum, ad majus divinum obsequium, posset sustentari. q

q P. 4. c. 2. G.

5. Collegia verò absque sufficiente dotatione fundata, in quibus Nostri nec legant, nec Scholasticos alant, visum olim est hac ratione retineri posse; si ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam personam conservatis, daretur opera, ut plenè fundarentur. Nostri tamen interim bonis illis non uterentur; sed viverent ex elemosynis: ac simul darent operam; ut prædicta Collegia sufficienter etiam aliunde dotarentur. r Postmodum sancitum est: de Collegiis, in quibus propria Collegiorum munia non exercentur, vel quia nondum plenè constituta sunt, licèt sint inchoata, vel quia ædificandi necessitas non patitur nostros legere, nec Scholasticos nostros illic alii, Pater Generalis judicet an, & quamdiu ex elemosynis, vel ex redditibus vivere debeant; cùm hic casus sit diversus à proximè Superiori. s

Quatenus retineri possint redditus sine scholis.

r C. 2. D. 71.

s C. 3. D. 43.

SECTIO

S E C T I O VI.

De obligationibus in Fundatione
Collegiorum vitandis.

Non temerè
conditiones ad-
mittenda.

I. **C**um varias conditiones imponere
Caliquando possint Fundatores no-
stris Collegiis ; erit Generalis Præpositi
considerare , an expediat ea admittere cum
conditionibus minùs nostro Instituto con-
sentaneis. Et si temporis decursu gravari se
eo onere Societas animadvertet ; poterit in
Congregatione Generali proponi , & sta-
tui, ut relinquatur Collegium hujusmodi ;
vel prospicere , ut onus temperetur ; vel
certè ut ad onus ferendum vires majores
præbeantur ; si quidem ante Congregatio-
nem huic incommodo Generalis non oc-
currerit. † At Provincialis nullam admit-
tet conditionem in Fundationibus , quam
Generalis non approbaverit. †

‡ P. 4. c. 2. §.
2. & P. 9. c. 3.
§. 17. & C. 2.
D. 21.

‡ R. Prov. 76.

Recusanda cura
animarum , &
Missarum onera
commensurata
reditui.

2. Inter conditiones autem repugnantes
Instituto numerantur Curæ animarum ,
obligationes ad Missas celebrandas , atque
aliæ hujusmodi , quæ cum à studiis admo-
dum distrahant ; & ea , quæ ad divinum
obsequium in Collegiis quærentur , impe-
dire soleant , non sunt admittendæ. † Quod
sic

* P. 4. c. 2.
§. 4.

fic intellige, ut excludantur obligationes Missarum, & similes commensurate assignato redditui. Non tamen perinde inconueniens existimatur, aliquam facilem, & exiguam obligationem (quæ tamen non fit animarum cura) admittere; si causa sufficiens ad id moueret; & res perexiguam distractionem allatura esset. *γ* At non ex-

*γ P. 4. c. 2. B.
& P. 6. c. 3. C.*

3. Et licet Collegia etiam possint (ut infra dicitur Part. 5.) non spiritualibus modò, sed & corporalibus caritatis operibus proximos iuvare, præcipuè in Xenodochiis, & per se, & alios excitando: nihilominus non conuenit eadem cum aliqua Congregatione misceri; nec in illis Conuentus alios agi, præter eos, qui ad eorundem Collegiorum finem in diuino obsequio fient. *α* Quare, non est admissum Collegium in Oppido de Oropesa; quamquam optimè meritis de Societate, idemque nobilissimus loci Dominus rogaret; quia nempe Hospitalis infirmorum, & domus puerorum in doctrina, & vita Christiana instituendorum cura simul imponebatur. *β*

z C. 1. D. 134.

*Nec aliqua
Congregatio-
num genera ad-
mittenda*

α P. 7. c. 4. G.

*β C. 2. D. 13.
Obligatioes*

4. Quin obligationes ipsæ Lætionum, & non ultra vires.

*ipsæ Lætionum
& non ultra vires.*

& Lectorum non sine magna consideratione, nec ultra limitem, quem Præpositus Generalis ad majorem Dei gloriam posuerit, assumentur. Quod si hæc obligationes Lectorum, aut aliæ propositæ à Fundatore, admittantur; judicando utile tunc esse ad finem divini servitii id oneris subire; omninò in eis implendis deesse non oportet: sicut nec facile in hac parte, præter id, ad quod obligantur (præsertim, si id interpretari quis posset, quasi nova induceretur obligatio) præstandum est, sine Generalis consensu. *d*

e P. 4. c. 1. B.
& Instr. temp.
pro Prov. §. 4.

d P. 4. c. 11. A.
& Form. P.
Layne post
Dec. 2. Congreg.

*Sacra Lectiones,
& similia non
ex pacto.*

5. At cum munus Lectionis Theologiæ, concionandi, & Confessiones audiendi sint ministeria spiritualia in salutem proximorum; pro quibus nostræ professionis proprium sit nullum temporale præmium accipere: non convenit illam Collegii dotationem accipere, per quam ad præstanda ejusmodi munia Societas obligetur. Quamvis ratio æquitatis & gratitudinis postulat, ut majori diligentia in dictis ministeriis exerceamur in iis Collegiis, quæ cum majori liberalitate, & devotione fundata sunt. *e*

e P. 4. c. 7. §. 3.
& C. 1. D. 74. Et hæc quidem de obligatione directa. Ceterum si Societas curam susciperet alicujus Universitatis, non repugnaret hujus Constitutionis intentioni, ut sese ex consequenti

quenti obligaret ad Lectiones illius ordi-
narias; quamvis inter illas aliquæ Theo-
logicae essent. f

f P. 4. C. 7. E. &
C. 1. D. 75.

CAPUT II.

De Administrandis Bonis temporalibus
Collegiorum.

SECTIO I.

Ad quos haec Administratio pertineat.

1. **S**upremam curam, vel superinten- *Societas Pro-*
dentiam Collegiorum, juxta Sedis *fessa superin-*
Apostolicae literas, Professa Societas ha- *tendit Collegiis*
bebit. Cum enim quidquam ex redivibus *per Generalem.*
in suum usum convertere non possit; est
valde probabile; quod majori cum purita-
te, ac spiritu constantius procedet. Hanc
autem curam exercebit per Praepositum
Generalem; qui pariter, cum nec in suam, *P. 4. C. 2. §. 5.*
nec in ullorum consanguineorum suorum, *& 6. C. 10. §. 1.*
nec in Professae Societatis usum bona Col- *& Part. 10. §.*
legiorum possit convertere, eò purius se in *4. & Paul. III.*
eorum superintendencia gerere poterit. *P. 14. & Jul.*
III. p. 66.
2. Est igitur penes Praepositum Genera- *Facultates Ge-*
lem omnis facultas agendi quovis contra- *neralis in hac*
ctus emptionum, aut venditionum quo- *superintenden-*
rum- *tia.*